

loc. cit. n. 26. & Communis aliorum docentium pauperi superfluum dare vitium esse. Non enim datur elemosyna, ut pauper dives efficiatur, sed ut necessaria habeat.

820 Queritur VIII. Quomodo habere se debeant Executores? si Testator dicit: *Volo, ut hæc impendantur pro salute animæ meæ vel pro Dei gloria.* Resp. In hoc casu satisfacere Executores, si relicta applicent uni, vel pluribus piis causis, inter quas haud dubie etiam sunt pauperes; ad eum in simili casu etiam uni soli pauperi tota relicta substantia dari queat, si eadem indiget. Menochius loc. cit. n. 1. & Communis aliorum. Ratio est; quia revera satisfit voluntati defuncti; cum quidquid pro causa pia five una, five pluribus expenditur, ad Dei gloriam, & animæ salutem cedit.

821 Tandem circa Executores notandum, quod ante Executionem factam teneantur reddere rationem acceptorum, & expensorum, etiam si Testator id remiserit, vel prohibuerit, ne Executor ad reddendam rationem cogere. Molina Disp. 251. n. 8. Pirhing h. r. ad finem. Sylvester §. Testamentum 2. q. 8. circa finem. arg. Clem. un. h. t. & Authen. Licet. C. de Episcop. & Cleric. junctâ Novell. 131. Ratio est; quia exactio hujusmodi est munus publicæ potestatis introductum ob bonum commune, unde à privato Testatore impediri nequit.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

I Ratio Ordinis.

Duplici viâ acquirunt homines hæreditatem defuncti, videlicet vel ex Testamento, vel ab intestato. §. fin. Infit. Per quas personas nob. acquir. ita tamen, ut quando hæreditas ex Testamento adiri potest, Successio ab intestato locum non habeat, l. Quamdiu 89. ff. de Reg. Jur. & l. Antequam. 8. C. Commun. de Successione. Hinc Compiler Juris Canonici postquam egit de Testamentis, & competente ex eis Successione, rectè agit de Successionibus ab intestato.

S. I.

De Natura & Divisione Successionis ab intestato: ubi etiam de Computatione Consanguinitatis graduum in ea observandâ.

SUMMARIUM.

- 2 Intestatus quis dicatur?
- 3 Successio ab intestato definitur.
- 4 Est duplex: una in stirpes, altera in capita.
- 5 Ordo succedentium in linea recta.
- 6 Graduum computatio in linea recta.
- 7 Graduum computatio in linea transversali utriusque Juris.
- 8 Graduum computatio Civilis pro Successione hæreditaria etiam à Jure Canonico servatur: & graduum computatio Canonica pro matrimoniis etiam à Jure Civili servatur.

PRO faciliori notitiâ Successionis ab intestato notandum prius, quod Intestatus ille dicatur, qui vel omnino Testamentum non fecit, aut non Jure (id est non legitime seu validdè) fecit, aut id, quod fecit, ruptum, irritumque factum est, aut si ex eo nemo hæres

extiterit, juxta verba Justiniani prin. Infit. de Hæreditat. quæ ab intestato. Qui igitur tali succedit, dicitur intestato, seu ab intestato succedere, & hæres ab intestato vocatur. Nec refert, an quis noluerit, aut non potuerit facere Testamentum, quivis enim quoad effectus Successionis pro intestato habetur: Nam licet, qui testari non potuit, propriè non sit intestatus, putà impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est: tamen hos quoque pro intestatis accipere debemus, ait Ulpianus l. 1. prin. ff. de Suis & Legitim. H. N.

Queritur I. Quid & quotuplex sit Successio ab intestato? Resp. I. Est acquisitio hæreditatis absque Testamento, vel dispositione hominis Legibus debitâ. tot. Tit. ff. Si quis ommissa causa Testam. dicitur acquisitio hæreditatis loco generis. Dicitur absque Testamento per quod differt à Successione ex Testamento. Additur: vel dispositione hominis Legibus debitâ; quibus verbis differt ab acquisitione hæreditatis per pactum vel renuntiationem cum consensu illius, de cujus hæreditate agitur, factam: hæc namque ex speciali dispositione & conventionione hominum inter se acquirunt: Successio ab intestato autem absque ulla hominis dispositione Legibus debetur: unde & Successio legitima: ipsaque hæreditas ab intestato acquisita, legitima, id est Legibus debita vocatur L. 3. §. 2. ff. Pro socio. l. Legitimam 8. ff. de Hæredit. petis. & l. Quamdiu. 89. ff. de R. I.

Resp. II. Successio ab intestato duplex est, seu potius dupliciter fit in capita nempe, & in stirpes. Successio in capita fit, & est; quando plures ejusdem gradus personæ æqualiter succedunt, ita ut una de hæreditate plus non accipiat, quam altera, totque fiant portiones seu partes hæreditatis æquales, quot sunt capita, seu personæ: ob quod Successio in capita dicitur. Novell. 118. cap. 3. in fine. Successio in stirpes, seu stirpes fit, & est, quâ unus, vel plures nulla habita ratione multitudinis vel paucitatis personarum, loco alterius ita succedunt, ut omnes simul, five multi five pauci sint, tantam portionem de hæreditate accipiant, quantum accepisset ille, cujus loco succedunt: quamvis deintalem portionem inter se æqualiter ac in capita dividant. Exemplum est in casu, quo pater intestatus moriens duos liberos, ac sex nepotes ex filio prædefuncto relinquit: hoc in casu sex nepotes succedunt in stirpem, id est in locum sui patris, à quo tanquam stirpe proveniunt, ac omnes plus non accipiunt quam pater eorum, si viveret, accepisset, tantum nempe, quantum quivis ex duobus fratribus suis adhuc viventibus. Eandem portionem acciperent, si plures, vel pauciores essent nepotes v. g. duodecim, vel duo aut tres, vel unus, §. Cum filius. 6. & §. fin. Infit. de hæredit. quæ ab intest. & Authen. In successione. C. de Suis & Legitim.

Queritur II. Quam, & quo ordine ab intestato succedant? Resp. Sequentes ordine sequenti succedere: videlicet Primò Descendentes defuncti. Secundò Ascendentes illius. Tertio Collaterales consanguinei fratres v. g. illius. Quarto Coniux. Quintò Filcus. Ita antiquo Jure antiquo statuitur Novell. 118. cap. 1. 2. & 3. ac tot. Tit. ff. & C. Unde vir & usor, totaque Tit. C. de Bonis vacantium, patebitque ex sequentibus; quia de quovis ordine succedentium horum specialiter agemus.

Queritur III. Quomodo computentur gradus consanguinitatis in ordine ad dignoscendum, quis sit gradus proximior consanguineus defuncti? Merito præmittitur hæc quæstio subsequentibus Paragraphis: Nam quia in illis dicemus, eum, qui est proximior gradu, esse etiam priorem in successione, ita ut remotiorem excludat, §. si plures

Infit. de Legit. agnat. success. omnino prius explicare & scire oportet, quomodo computato graduum fieri debeat ad dignoscendum, quis sit proximior. Itaque Resp. I. In linea recta ascendendum, & descendendum eodem modo computantur gradus consanguinitatis secundum Jus Civile, quo secundum Jus Canonicum, ita ut utrobique recepta hæc sit Regula unica: Tot sunt gradus in linea recta ascendente ac descendente, quot sunt personæ unâ demptâ, communi nempe stirpe, à quo incipit numeratio: consequenter tot gradibus distant in linea recta duæ personæ, de quibus queritur, inter se, quot sunt personæ à communi stirpe, unâ demptâ. Sic v. g. Pater & filius in primo gradu sunt conjuncti: avus & nepos in secundo: proavus & pronepos in tertio: & sic deinceps. Textu claro can. Ad sedem. 2. cau. 35. q. 5. & §. 1. ac seqq. Infit. de Grad. cognat. caret Conclusio omni contro-

7 Resp. In linea collateralali, seu transversali, tam æquali quam inæquali aliter computantur gradus à Jure Civili in ordine ad capiendam hæreditatem: aliter à Jure Canonico in ordine ad contrahenda matrimonia. Omnes. textu aperto cit. can. 2. caus. 35. q. 5. De Jure Canonico enim pro linea collateralali æquali habetur illa Regula: Quot gradibus singule personæ, de quibus queritur, distant à communi stirpe, tot gradibus distant inter se. Pro linea collateralali inæquali autem recepta est sequens Regula: Quot gradibus persona remotior distat à communi stirpe, tot gradibus distat duæ personæ collaterales inter se: prout magis patebit ex dicendis infra Lib. 4. Tit. 1. de Spons. & Matrim. Econtra de Jure Civili pro computandis gradibus lineæ collateralali tam æqualis, quam inæqualis habetur alia, & quidem unica sequens Regula: Tot sunt gradus, quot sunt ex utraque parte, vel linea personæ, unâ demptâ, communi nempe stirpe; consequenter tot gradibus duæ personæ in linea transversali distant inter se, quot ex utraque parte numerantur personæ usque ad communem stirpem, in quo ambæ conveniunt, unâ demptâ, ipso nempe stirpe communi. Sic v. g. duo fratres secundum Jus Civile in ordine ad capiendam hæreditatem distant duobus gradibus inter se: quia sunt tres personæ, duo fratres nempe, & pater, in quo tanquam communi stirpe conveniunt, consequenter unâ demptâ duo gradus; hinc de Jure Civili in linea transversali non datur gradus primus. Pariter duo patruelis sunt in quarto gradu inter se; quia enim utraque parte seu lineâ usque ad communem stirpem sunt quæque personæ, ipsi nempe duo patruelis, duo ipsorum patres, & avus, unâ autem personâ, avo nempe dempto, sunt quatuor personæ, consequenter quatuor gradus. Rursus nepos & patruus, id est frater patris distant inter se tertio gradu; quia nempe usque ad communem stirpem avum scilicet ex utraque parte numerantur quatuor personæ, unâ verò dempta, sunt tres, consequenter tres gradus. Ita unanimes ob claram Juris dispositionem arg. tot. Tit. Infit. de Gradib. cognat. & can. 2. caus. 35. q. 5. ubi etiam exempla afferuntur illis verbis: Fratres itaque, qui secundum Leges sæculares dicuntur in secundo gradu, juxta Canones numerantur in primo. Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo: & sic deinceps. Rationem diversitatis merito servandæ inter Canones & Jus Civile ibidem allegat Pontifex diversam causam; ait namque: diu ventralis Legibus & SS. Canonibus distinctè invenimus, ob aliam, atque aliam causam, alteram Legum fieri, alteram Canonum computationem. In Legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hæreditas, vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos transferatur. In Cano-

nibus verò ob hoc progenies computatur, ut aperit monstratur usque ad quartam generationem, à consanguineorum nuptiis sit abstinendum &c.

Illud tamen notandum, quod computato graduum 8 Juris Civilis in ordine ad successiones hæreditarias non tantum in Foro sæculari ac civili, sed etiam Ecclesiastico & Canonico sit observanda; quia quoad hoc Leges Civiles approbatæ, & canonizatæ sunt à SS. Canonibus, arg. cit. can. 2. caus. 35. q. 5. Et econtrâ computatio graduum Juris Canonici in ordine ad contrahendum matrimonium non tantum in Foro Ecclesiastico, sed etiam sæculari sit servanda, prout ipsi etiam fatentur Civilistæ arg. cit. can. 2. caus. 35. q. 5. ut proin verum sit dicere, quoad successione hæreditariam, eodem modo fieri computationem graduum à Jure Canonico, & Civili: Et econtrâ computationem graduum in ordine ad contrahendum matrimonium, pariter eodem modo fieri ab utroque Jure; consequenter Jus utrumque in computatione graduum non nisi penes diversa objecta differre, idque ob rationem num. præced. allegatam.

§. II.

De Successione Descendentium liberorum nempe, nepotum, ac pronepotum.

SUMMARIUM.

- 9 Liberi varii afferuntur.
- 10 Liberi legitimi & naturales simul quomodo succedant?
- 11 Legitimati per Matrimonium qui? succedunt eodem modo, quo legitimi.
- 12 Sicut etiam adoptati liberi.
- 13 Legitimati per Rescriptum Principis, vel Comitum Palatini, quomodo succedant?
- 14 Legitimatio Rescripto Principis facta non expirat nativitate subsequente filiorum.
- 15 Naturales liberi qui? & quomodo succedant?
- 16 Spurii qui? & quomodo succedant?
- 17 Spurii improprie dicti juxta Canones qui?
- 18 Liberi ex damnato coitu parentibus non succedunt, alimenta tamen ab eis percipiunt.
- 19 His comparantur liberi parentis rei criminis læsæ Majestatis.
- 20 Nepotes cum liberis existentes succedunt in stirpem.
- 21 Sicut etiam, si soli sine liberis extant, & à diversis parentibus proveniunt.
- 22 Si filius superstes succedere aut nolit, aut non possit, succedunt nepotes.
- 23 Nepotes naturales legitimati quomodo succedant?
- 24 Nepotes naturales non legitimati succedunt avie matris.
- 25 Utrum verò paterno avo succedant, magna est controversia. Et num. seq.
- 27 Contra Jus commune habent statuta & consuetudines locorum circa successione ab intestato, præsertim in Bavaria.

Queritur I. Quam liberi, & quomodo succedant ab intestato? Ante Responsum notandum, Liberos esse in varia differentia; alii enim sunt, & dicuntur spirituales; alii affines seu privigni; alii legitimi & naturales simul; alii legitimi tantum; alii naturales tantum. Naturales rursus alii proprie tales; alii spurii; alii ex damnato coitu, alii legitimati, alii non legitimati. Filii spirituales alijus dicuntur illi, quos quis in Baptismo, vel Confirmatione tenuit, arg. can. 1. caus. 30. q. 3. Et de his certum est, quod penitus nullum habeant jus



succedendi ab intestato parentibus suis spiritualibus; quia nulla inter eosdem habetur ratio confanguinitatis, prout dicitur *cit. can. 1. caus. 30. q. 3. Liberi affines, sive Privigni sunt & dicuntur respectu Virici, seu Novercæ. De quibus pariter certum est, quod in nullo casu ab intestato succedat parenti vitrico, sive novercæ. l. Affinitatis. 7. c. Communia de Successione. ibi: Affinitatis jure nulla successio permittitur. & l. 3. c. eod. ibi: Virico privigni successorem intestato Civili, vel honorario Jure non debet, certissimum est. His itaque extra omnem controversiam positus, dabimus de aliis liberis Conclusiones sequentes.*

10 Resp. I. Liberi primi gradus, naturales & legitimi simul, sive, quod idem est, liberi ex legitimo matrimonio procreati omnes sine ulla status differentia, sive foemina, sive mares, sive sui, sive emancipati, sive laici, sive clerici, etiam Religiosi in capita & æqualiter ab intestato ita succedunt patri & matri, ut excludant non tantum collateralales confanguineos, v. g. paternos, avunculos &c. sed etiam Ascendentes, & Descendentes nepotes, casu quo horum, nepotum nempe patres adhuc in vivis existant. Unanimis ac certa claris Juribus Novell. 118. cap. 1. & Authen. in Successionem C. de Suis & legitim. Ratio desumitur tum ex præsumpta voluntate defunctorum, qui utique liberis suis potius, quam extraneis bona sua congregasse, & relinquere voluisse non censetur: tum ex Jure & æquitate naturali, ut ex bonis paternis liberi alimenta consequantur. l. Cum ratio 7. ff. de Bonis damnata.

11 Resp. II. Liberi naturales legitimi per subsequens matrimonium, eodem modo, quo legitime nati ab intestato succedunt parentibus. §. 2. Infit. de Heredit. que ab intest. & c. Tanta 6. Qui filii sunt legitimi. & ibi Glossa v. Legitim. cum Barbota n. 14. Pirhing h. r. n. 6. Engel eod. n. 8. Gailus lib. 2. Observ. 141. n. 1. & communissima aliorum doctum, legitimitas per subsequens matrimonium per omnia æquiparari legitime natis: eod quod magna vis matrimonii omnia præcedentia purget. Glossa loc. cit. Dicitur autem proles naturalis per matrimonium legitimi, quando pater illius cum matre, ex qua proles concepta erat, postea contrahit matrimonium, sive dein hoc fiat ante, vel post natiuitatem prolis naturalis, etiam in mortis articulo: imò et si interea aliam duxerit, dummodo aliquando ducat, & dummodo tempore conceptionis habiles ad contrahendum erant. arg. cit. c. Tanta 6. Qui filii sunt legitimi. & ibi DD. communiter, præsertim Barbota; diciturque amplius in Lib. 4. cit. Tit. Qui filii sunt legitimi.

12 Resp. III. Filii legitimi tantum, id est adoptivi etiam eodem modo, quo legitime nati æqualiter in capita succedunt adoptanti, vel arroganti. l. 5. C. de Suis & legitim. lib. ibi: Si te parens in cuius potestate fuisti, solemniter in adoptionem dedit cum filiis naturalibus adoptivi parvis ante & post acquisitis defuncto ab intestato succedere potes. Dummodo ante mortem adoptantis per emancipationem adoptatio non dissolvatur l. Cum in adoptivis. 10. §. 2. C. de Adopt. Ad successionem tamen agnatorum & cognatorum adoptantis non admittuntur l. 10. §. 1. C. de Adopt.

13 Resp. IV. Liberi naturales Legitimi per Rescriptum Principis, vel Comitum Palatini quoque æquali jure cum legitime natis succedunt ab intestato parentibus suis, si tres concurrant conditiones, videlicet Primò, si nulli extent liberi legitimi. Secundò, si pater prædicti generationis matrem ex iusta causa ducere, sicque per subsequens matrimonium prolem legitime non potuit. Et tertio, si proles in legitimationem consenserit. Ita expres-

sè statuitur Novell. 74. cap. 1. & Novell. 89. cap. 9. Observat tamen circa primam conditionem Gailus lib. 2. Observ. 142. num. 7. citans Commune, quod supremus Princeps de plenitudine potestatis sue possit naturalem etiam extantibus legitimis ad successionem ab intestato legitime cum clausula Diplomatica inserta, non obstante quod adint legitimi: vel etiam in præjudicium legitimorum. Ratio est; quia potest antiquas Leges abrogare, & novas ordinare, arg. l. Disputare. 3. C. de Crimin. Sacrilleg. & l. 5. C. de Divers. Rescript. Quæ ratio, cum celsit in Comite Palatino, ei ita legitimandi potestas non competit; nisi eidem speciali expresso privilegio concessum inveniatur: uti post Baldum in l. Cum filiusfamilias ff. de Testam. milit. n. 1. notat Gailus loc. cit.

Utrum autem legitimati filii naturalis per Rescriptum Principis, tempore, quo nulli existerent liberi, facta, quoad Successionem ab intestato expiret, quando postea legitimos liberos pater generet? gravissima est controversia inter Doctores. Assertivum multi tenent citati à Tiracquo in l. Si unquam. n. 275. C. de Revocat. donat. arg. l. Existimo. 98. prin. ff. de V. O. Negativum verò tenentur Gailus loc. cit. num. 5. Bartolus in l. Ex factio. n. 3. ff. de Vulg. & pupill. Baldus ibid. num. 1. ac etiam Jalon n. 15. ubi citat Commune. Fundamentum eorum desumitur ex illa Juris Regula, quod semel perfecta & consummata non irritetur, nisi ad eum casum perveniant, à quo incipere non potuissent. l. In ambiguis. 85. §. 1. ff. de R. I. ibi: Non est novum, ut, que semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus exierit, à quo initium capere non potuerunt. & c. Factum 73. de R. l. in 6. ibi: Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. Et videtur hæc sententia omnino probabilis.

Resp. V. Filii naturales non legitimi, id est, 15 procreati ex duobus personis liberis, tempore conceptionis ad matrimonium inter se in eundem non inhabilibus, matre vel concubina, vel saltem non meretrice publicâ, aut pluribus ita exposita, ut pater certus sciri nequeat, æquali jure cum legitime natis succedunt matri ab intestato, etsi mater fuerit persona illustri. Ita clarè Jura l. 2. ff. unde Cognati. §. Novissime. Infit. ad S. C. Orfitian. & l. Si qua illustri, ad finem. C. eod. ibi: Si autem concubina (erat illustri) libera conditionis constituta filium, vel filiam ab homine libero habita procreaverit, eos etiam cum legitimis liberis ad materna venire bona, que jure legitimo, in suo patrimonio possidet, nulla dubitatio est. Patri verò ab intestato non succedunt, si proles, vel nepos legitimus, vel uxor ejusdem adhuc extent: his verò omnibus deficientibus capiunt tales liberi naturales præter nutrimentum, sextam partem bonorum, seu duas uncias cum matre sua dividendas, ita, ut una prolihus naturalibus, altera verò uncia matri remaneat. Novell. 18. cap. 5. & Novell. 89. cap. 12. §. Si quis autem. 4. ibi: Si quis autem defunctus fuerit, legitima et omnino sobole non extante filiorum dicimus aut nepotum, aut deinceps successiones, neque legitima conjugæ deinde moriatur non disponens de sua substantia &c. fit autem ei libera mulier in Schemate concubinae sociata, & filii ex ea, & alimentum damus eis, & intestatis parentibus duas paternæ substantiæ uncias habere cum matre partiendas, quotquot fuerint filii, & unius filii portionem mater accipiat. Dummodo pater ex una sola, & non ex pluribus concubinis plures tales liberos habeat; hoc enim in casu, ejus liberi ita procreati, & matres ipsorum præfatio beneficio Legis carerent, in odium libidinis paternæ; prout in citatis Novell. ultimus ordinatur, quibus etiam

etiam concordat Authen. Licet. C. de Natural. lib.

16 Resp. VI. Liberi Spurii proprie tales seu vulgò quæsti, id est, procreati quidem à duobus personis liberis, & tempore conceptionis ad contrahendum matrimonium habilibus, matre tamen communiter meretrice, vel saltem pluribus ita exposita existente, ut quis ex fornicatoribus pater sit, certo sciri non possit. arg. l. Vulgò concepti ff. de Statu hominum, patri nullatenus succedunt, arg. §. 4. Infit. de Success. cognat. Ratio patet; quia certus pater nescitur. Matri verò, eodem modo, quo naturales ab intestato succedunt, nisi mater fuerit illustris, cit. §. Novissime. Infit. ad S. C. Orfitian. ibi: Novissime sciendum est, etiam illos liberos, qui vulgò quæsti sunt, ad matris hereditatem ex hoc consilio admitti. Idem statuitur l. 2. ff. Unde cognati. Dicitur tamen notanter, nisi mater fuerit illustris; huic enim naturales quidem, non autem spurii succedunt, si liberis legitimis habet, sedis verò, si legitimis careat, textu claro l. Si qua. 5. C. ad S. C. Orfitian. ibi: Sancimus, ut neque ab intestato justis liberis existens aliquid penitus ab illustribus matribus ad spurios perveniat.

17 Dicitur in Conclusionem Spurii proprie tales; quia etiam nati ex damnato coitu vocantur Spurii præsertim, qui proin spurios, & natos ex damnato coitu promiscue accipiunt, qui tamen in sensu Juris Civilis proprie spurii non sunt.

18 Resp. VII. Liberi ex damnato coitu, id est, procreati ex illis, inter quos tempore congressus matrimonium esse non potuissent, quales sunt filii Prebiterorum, liberi ex adulterio; item liberi ex incestu, nec patri, nec matri ab intestato succedunt; etiam nulli legitimi extent, textu claro Novell. 89. cap. fin. & Authen. Ex complexu. C. de Incest. nupt. ubi etiam alimenta eis denegantur, ibi: Ex complexu nefario aut incestu, aut damnato coitu liberi nec naturales jure nominandi omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, aut nec alantur: Quamvis quoad alimenta à Jure Canonico Jus Civile mitigatum sit, ita ut his quoque liberis à parentibus alimenta debeantur, arg. c. Cum haberet. 5. de Eo, qui duxit in matr. Concordat Jus Bavaricum Tit. 39. a. 7. statuens, ut hujusmodi liberi tam diu saltem de parentum bonis sustententur, donec ipsimet labore manuum suarum, aut arte panem necessarium sibi acquirere valeant.

19 Liberi ex damnato coitu æquiparantur, ita ut ab omni successione ab intestato excludantur liberi, quorum parentes ob crimen læsæ Majestatis sunt condemnati, l. Quisquis. 5. §. 1. C. ad Leg. Jul. Majest. Item liberi eorum, qui propter hæresin damnantur, c. Excommunicamus. 13. §. Damnati de Hæret. quod tamen limita in Germania, ubi Hæretici tolerantur.

20 Quaritur II. Quinam, & quomodo succedant nepotes ab intestato? Resp. I. Quando cum liberis legitimis primi gradus concurrunt legitimi nepotes, vel pronepotes &c. Tunc parentibus eorum præmortuis, avo vel avia ab intestato succedunt tales nepotes, vel pronepotes æquali jure cum liberis; hæc tamen cum differentia, quod liberi in capita, nepotes verò, vel pronepotes in stirpes succedant. Unanimis ac certa, apertis Juribus. §. Cum filius. 6. Infit. de Heredit. que ab intest. Novell. 118. cap. 1. & Authen. In Successionem. C. de Suis & legitim. ibi: In successionem patrisfamilias, seu filiifamilias liberi ejus, si sunt, omnibus aliis prælati succedunt. Primi quidem gradus æqualiter succedunt, nepotes verò, & posteriores in stirpes. Ratio est; quia fitione Juris repræsen-

tant patrem, sicque jure repræsentationis veniunt, arg. cit. §. 6. Infit. de Hæred. Quid autem fit in capita, & quid in stirpes succedere, vide supra num.

4. Resp. II. Si nullis existentibus liberis primi gradus soli existant nepotes ex diversis liberis primi gradus, tunc omnes jure repræsentationis in locum parentum succedunt in stirpes, & non in capita, sive æqualis, sive inæqualis sint numeri; ut si Titius tres liberos habuisset, ii verò ante Titium mortui essent, & unus eorum tres liberos, alter verò quinque, tertius autem unum tantum, nepotes avi reliquissent, omnes in stirpes ita succederent, ut unicuique nepos ex tertio succedens, tantum caperet de substantia avi, quantum quinque ex altero provenientes, vel tres illi ex primo procreati; eod quod idem & non plus quivis horum patris, quem repræsentant, & in cujus locum succedunt, accepisset. Idem dic, si plures in ultimo gradu v. g. pronepotes, aut abnepotes extent, sive æquali sive inæquali numero, sive ejusdem, sive diversi gradus; quivis enim numerus talium, suum semper repræsentat parentem, ejusque in locum succedit, tantumque & non plus de hereditate ab intestato capit, quantum parens eorumdem habuisset, l. 2. C. de Suis & legitim. ibi: Nepotes ex diversis filiis diversi numeri succedentes ab intestato non pro virilibus portionibus, sed ex stirpibus succedunt. Adhuc clarior atque ad longum habetur in §. Cum filius. 6. & §. fin. Infit. de Heredit. que ab intest. Ex quo etiam cum Communi aliorum dicimus, quod descendentes jure repræsentationis cum quovis alio in infinitum succedant, ita ut abnepos vel pronepos, quorum parentes sunt defuncti, per liberos etiam primi gradus non excludantur à successione abavi, vel proavi.

Resp. III. Quando parens nepotum, filius nempe avi, hereditatem ab intestato adire vel nolle, vel non possit, succedunt præfatio modo nepotes. Ita contra Hunn. docent Forsterus 4. cap. 20. n. 8. Haunold. Tr. 5. cap. 3. Controv. 2. num. 4. 2. Belold. Manz. Vacconius, & alii, arg. l. 7. ff. de His, qui sui vel alieni juris. ibi: Si quæ pater affectus fuerit, ut vel civitatem amittat, vel servus panæ efficiatur, sine dubio nepos loco filii succedit. Accedit, quod etiam in his procedat Juris ratio, videlicet memoria sui in posteris propagatio, l. Liberos. 220. ff. de V. S. Et quia etiam tales verè ex sanguine avi descendunt.

Resp. IV. Nepotes naturales legitimi per subsequens Matrimonium, eodem modo, quo legitime nati avo ab intestato succedunt per Jura n. 11. citata. De Legitimitate verò per Rescriptum Principis idem proportionaliter dicendum, quod de liberis Legitimitate num. 13. & seq. diximus. Ratio est; quia nomine liberorum etiam nepotes veniunt, ubi Jura aliter specialiter non disponunt l. Liberos. 220. ff. de V. S.

Resp. V. Nepotes naturales non legitimi, etiam 24 spurii proprie tales succedunt avia materna, aliique ascendentes ex linea materna. Est communis l. Modestinus. 8. ff. Unde cognati. ibi: Modestinus respondit, non idè minus ad avia maternæ bona ab intestato nepotes admitti, quod vulgò quæsti proponuntur. Concordat §. Novissime. 3. Infit. ad S. C. Orfitian. & l. 5. C. eod. ubi tamen limitatur Conclutio in casu, quo mater est persona illustri, ac nepos spurius.

Utrum autem, & quomodo naturales nepotes 25 succedant avo paterno, magna controversia est inter Doctores, qui tamen in hoc conveniunt, quod spurii proprie tales avo paterno nullatenus succedant, eod quod certum patrem non habeant. De Nepo-



Nepotibus naturalibus verò Schneidevvin. lib. 3. tit. 1. de success. liber. natur. & alii dicunt, eos avo paterno nullatenus nec in duabus uncis succedere, arg. l. fin. C. de Natural. liber. ubi postquam statutum est, quod avus ex Testamento pro libitu quædam relinquere possit nepotibus naturalibus, additur: Sed hoc in his tantummodò sancimus, in quibus voluntate aliquid consecuti sunt. Jura etenim ab intestato in avi successionem nemini eorum penitus aperimus. Hanc sententiam amplectuntur Land-Recht Tit. 39. a. 4.

- 26 Econtrà Covarruvias de Matrim. p. 2. cap. 8. §. 4. n. 18. cum aliis docet, nepotem naturalem eodem modo succedere avo, quo modo parens ejus defunctus, quom repræsentat, successisset, in duabus nempe uncis, si nulli legitimi descendentes, nec legitima extet uxor juxta dicta supra num. 15. arg. Eadem l. fin. C. de Natural. liber. ibi: Et hæc non solum eis accedere censemus à substantia avi paterni naturalis, vel etiam proavi, vel ejus cognationis. Ex quibus verbis jus succedendi avo paterno ab intestato pro nepotibus erueri conatur. Verum prioris sententiæ DD. hæc verba Legis aliter interpretando respondent, videlicet quòd intelligenda sint & referenda ad priorem textum, ut sensus sit, quòd non tantum avus paternus, sed & proavus etc. possint in Testamento suam substantiam relinquere nepotibus naturalibus. Et sanè hæc interpretatio DD. consequenter etiam sententia eorum Juri videtur conformior, quamvis etiam Covarruvie opinio sua probabilitate non careat. Ulteriore hujus controversiæ examinationem relinquimus Legistis.
- 27 Cæterum, quæ hætenus circa Successionem Descendentium ab intestato dicta sunt, de Jure communi procedunt, contra quod varia habentur statuta particularia ac consuetudines locorum. Inter quæ etiam est, quòd in aliquibus locis soli primogeniti succedant. In quibusdam locis scemine etiam legitime cum masculis Nobilibus æqualiter non succedunt, sed contentæ esse debent cerà per statuta Municipalia, vel consuetudinem assignatâ portione, relicta substantiâ totâ remanente masculis pro conservatione familiæ, quod idem etiam habetur statutum in Bavaria per Novellam editam à Serenissimo Electore Ferdinando Maria 1672. 2. Aprilis. Eadem Bavariæ statuta etiam in hoc differunt à Jure communi, quòd nepotes naturales cum legitimis extantibus aviæ maternæ ab intestato non succedant. cit. Tit. 39. a. 5.

§. III.

De Successione Ascendentium, & Collateralium, fratrum nempe, & aliorum sanguine junctorum.

SUMMARIUM.

- 28 Deficientibus Descendentibus, & fratribus germanis succedunt soli Ascendentes.
- 29 Et quidem æquales in gradu, in stirpes æqualiter.
- 30 Etiam si bona defuncti vel ex toto, vel à potiori ab uno parentum veniant.
- 31 Si cum Ascendentibus existant fratres germani, succedunt omnes in capita. Proximus quis? Ibid.
- 32 Fratres uterini, vel consanguinei soli excluduntur ab Ascendentibus.
- 33 Germanorum proles, non item nepotes succedunt cum Ascendentibus.
- 34 An præmortui germani proles sine aliis germanis extantes succedant cum parentibus, alii negant.

nis extantes succedant cum parentibus, alii negant.

- 35 Alii affirmant.
- 36 Ascendentes quomodo succedant naturalibus?
- 37 Deficientibus Descendentibus, & Ascendentibus succedunt fratres & sorores germani.
- 38 Eorumque præmortuorum proles, ita tamen, ut hæc in stirpem, & illi in capita veniant exclusis uterinis.
- 39 Soli defuncti præmortuorum fratrum existentes liberi succedunt in capita.
- 40 Solvitur infantia ex Jure.
- 41 Si existant cum eis defuncti fratres uterini, vel consanguinei, tunc liberi germanorum succedunt quidem, sed in stirpes.
- 42 Deficientibus germanis, & liberis eorum succedunt uterini vel consanguinei cum eorum liberis.
- 43 Et fratres ac sorores quidem æqualiter non habent ratione, an à patre vel matre bona provenierint: & tribus seq. num.
- 47 Nullis existentibus fratribus & sororibus eorum, succedunt cæteri collaterales juxta gradus prærogativam.
- 48 Adoptivi filii non succedunt legitimis liberis parvis adoptatis.
- 49 Fratres naturales ac spurii, cæterique collaterales illegitimi ex patre tantum conjuncti, nec sibi invicem, nec legitimis, nec hi illis succedunt.
- 50 Conjuncti verò ex linea materna, & sibi invicem, & legitimis, ac cum illis, uti legitimi succedunt.
- 51 Nati ex damnato coitu, ab omni successione repelluntur.

Quæritur I. Quomodo succedant parentes, & alii ascendentes, casu quo nulli extant descendentes defuncti? Resp. I. Si quis intestatus moritur sine liberis & nepotibus, ac etiam sine fratribus & sororibus germanis, id est ex utroque vinculo conjuncti, & sine horum liberis eidem ab intestato succedunt soli ascendentes, ita tamen, ut gradu proximior semper excludat gradu remotiorem; pater v. g. vel mater, avum & aviam defuncti. Omnes; quia ita, & ad longam statutum habetur Novell. 118. cap. 2. per quam etiam correctum est Jus antiquum, vi cuius mater excludabatur à successione filiorum prim. Instir. Ad S. C. Tertyll. Ordinatur insuper citatâ Nov. 118. cap. 2. quòd pater & mater ab intestato liberis æqualiter succedant in capita, etiam si omnia vel plura filii v. g. bona ab uno parentum patre v. g. vel linea paternâ proveniant juxta dicenda infra n. 30.

Resp. II. Quando plures ascendentes in secundo vel ulteriori gradu sine fratribus vel sororibus defuncti existunt, v. g. avus & avia paterni, unâ cum avo & avia materni; aut cum solo avo materno, aut econtrâ, tunc succedunt æqualiter non quidem in capita, sed in stirpes, ita ut in tali casu mediam capiat avus & avia paterni; alteram verò avus & avia materni, vel unus horum, si solus cum aliis existit. Caret iterum controversiâ ob apertam Juris dispositionem cit. Novell. 118. cap. 2. ibi: Si plurimi ascendendum vivunt, qui eundem habent gradum, ex eo inter eos hereditas dividatur, ut medietatem quidem accipiant à patre ascendentes, quantumque fuerint; medietatem verò reliquam à matre ascendentes, quantumque eos inveniri contigerit.

Resp. III. Ascendentes tam in primo, quàm secundo, aut ulteriori gradu æquali, præfato modo æqualiter succedunt Descendenti intestato, et si hic cuncta, vel saltem plura à patre vel linea paternâ, quàm

quàm à matre, aut econtrâ acquiritæ habeat. Fachin. lib. 6. cap. 4. Mynsinger Cent. 6. Observ. 55. n. 3. dicens doctrinam Conclusionis præfati in Camera Imperiali, Nicol. de Ubald. de Successione. ab intest. p. 2. n. 4. Pirhing h. r. num. 12. cum Communi aliorum contra Berlich. p. 3. concl. 20. n. 14. & seqq. Schneidevvin. Bartol. & nonnullos alios, arg. l. Sed si plures. 10. §. Filio. ff. de Vulg. & pupill. subst. & cit. Novella 118. cap. 2. ubi Imperator generaliter, ac sine ulla distinctione honorum dicit, hæreditatem Descendentium inter Ascendentes esse æqualiter dividendam. Ratio est; quia cuncta bona propria filii unum patrimonium, unamque hæreditatem efficiunt; nam hereditas nihil aliud est, quàm successio in universum jus, quòd defunctus habuerit, l. Hereditas. 62. ff. de R. L. & l. Nihil. 24. ff. de V. S. ergo, quia Novella dicit, totam hereditatem æqualiter dividendam esse inter Ascendentes, distinguere inter bona non debemus.

- 21 Resp. IV. Si cum Ascendentibus æqualis gradus, extant etiam germani fratres aut sorores defuncti, tunc omnes succedunt æqualiter & in capita, ita ut tot fiant portiones æquales, quot sunt capita, seu personæ; v. g. existunt unâ cum matre & patre defuncti tres fratres, sunt quinque portiones æqualiter dividendæ. Item si deficientibus etiam parentibus defuncti existunt ejusdem avus, & avia paternâ; unâ cum avo materno, & tribus fratribus fiant sex æquales portiones, ut proin concursus fratrum faciat, quòd successio ascendendum, quæ, si soli essent, fieret in stirpes juxta dicta nu. 29. fiat in capita. Ita desumitur ex Novell. sæpè citatâ 118. cap. 2. ibi: Si cum ascendentibus inveniantur fratres aut sorores ex utroque parentibus conjuncti defuncto, cum proximis gradu ascendentibus vocabuntur, si & pater aut mater fuerit, dividenda quippe inter eos hereditate secundum personarum numerum, ut & ascendendum, & fratrum singulis æqualem habeant portionem. Et ibi Glossa communiter recepta §. Proximis. Covarruvias in Epitome de Success. ab intest. n. 6. Fachin. lib. 6. cap. 7. Pirhing h. r. nu. 15. & Communis aliorum. Nec obstat, quòd in citata Novella dicatur, fratres succedere cum proximis gradu, hi autem sint parentes, non item avus v. g. vel alii in ulteriori gradu ascendentes; ergo si parentes tanquam in proximo, utpote primo gradu non existunt, fratres soli, & non cum cæteris descendentibus succedunt defuncto. Nam contra est, quòd proximus in Jure dicitur, quem hic & nunc nemo antecedit, l. Proximus. 92. ff. de V. S. ibi: Proximus est, quem nemo antecedit: consequenter cum deficiente patre & matre, avum v. g. & aviam in gradu nemo antecedit, inter ascendentes proximi erunt, & cum fratribus, hi que cum illis succedere habebunt.
- 22 Dicitur tamen notanter in Conclusionem Fratres germani, quia fratres aut sorores uterini, id est, ex sola matre, vel consanguinei ex solo patre, excluduntur per ascendentes, prout docet Pirhing h. r. num. 15. & communiter pro Regula traditur à Legistis, arg. cit. Novell. 118. cap. 2. ibi: Si inveniantur fratres & sorores ex utroque parentibus conjuncti.
- 23 Porro, si cum ascendentibus existunt fratres aut sorores germani, simulque hujusmodi fratris prædefuncti proles, etiam hæc cum illis, sed non nisi in stirpem succedunt, quantum nempe jure repræsentationis veniunt in locum patris. Ita expressè statuitur Novell. 127. cap. 1. ac etiam corrigitur Novell. 118. cap. 2. ubi tales proles in dicto casu à successione exclusi erant: verba Novell. 127. ita sonant: Hoc itaque jussu corrigentes sancimus ut si quis moriens reliquat ascendendum, aliquem, & fra-

tres, qui possunt cum parentibus vocari, & aliter præmortui fratris filios, cum ascendentibus & fratribus vocentur, etiam præmortui fratris filii: & tantam accipiant portionem, quantum eorum suurus erat pater accipere, si vixisset. Nepotes verò, vel pronepotes præmortui fratris hoc privilegio non gaudent, sed à parentibus & fratribus excluduntur; tum quia hæc Novella est correctoria prioris, consequenter ultra casus expressos non extendenda. c. Quæ à Jure communi. 28. de R. L. & l. 141. ff. eod. Tum quia jus repræsentationis ultra fratrum filios locum non habet in linea Collaterali, arg. Authen. Post fratres, fratrumque filios. C. de Legit. hæred.

Num autem præmortui fratris filii simul succedant in casu, quo præter ascendentes, nulli extant fratres aut sorores germani? non conveniunt DD. Negativam tenent Cujac. ad dict. Novell. 118. Zocifus ad ff. de Suis & legit. hæred. l. Præcipimus. 32. C. de Appellat. Et Exceptio unius firmet Regulam in contrarium, per vulgaria.

Econtrâ alii, ut Forsterus de Success. 3. cap. 7. 35 Schneidevvin. lib. 3. Tit. 1. de Secundo gradu succed. num. 29. ubi citat Cyn. in Tract. Success. ab intest. §. Nunc in hac. p. 2. n. 5. & 9. & alii, quorum sententiam vioriorem etiam judicat Hanooldus Tract. 5. cap. 3. n. 478. affirmativam docent, idque probare conantur tum ex Novella 127. Rubrica, ita sonante: Ut fratrum filii succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentibus extantibus; ubi, ut legenti patet, nulla distinctio est inter filios fratris lineæ alius, vel cum aliis fratribus extantes. Tum ex eo, quòd penitus nulla ratio assignari queat, ob quam præmortui fratris filii succedant, si adhuc extant fratres aut sorores defuncti; & non, si sine hujusmodi fratribus soli sint; prout consideranti liquet. In qua opinionum varietate id sanè fatendum est, quòd utriusque sententiæ Authores passim fatentur, utramque nempe sententiam probabilem; adeoque Transactioni locum esse. Posteriori tamen sententiæ adhæret Jus Bavariæ Land-Recht Tit. 40. a. 4.

Resp. V. In iis casibus, in quibus filii naturales, 36 ac illegitimi succedunt parentibus, succedunt parentes illis. Covarruvias in Epitome de Success. ab intest. nu. 19. Pirhing h. r. n. 16. Bartolus in l. ult. ff. de His, quæ ut indig. Baldus in Authen. Licet. C. de Natural. arg. Novell. 89. cap. 13. ibi: In quibus casibus naturales filios vocavimus ad successionem, in iis quoque & ipsi decentem naturalem patribus devotionem servent eademque mensurâ, sicut parentes prospiciunt naturalibus filiis secundam nostram Legem, & ipsi parentibus compensent, sive in successione, sive in alimentis.

Quæritur II. Quando, & quomodo ab intestato succedant Collaterales? Resp. I. Si quis intestatus moriens nec descendentes, nec ascendentes reliquit, succedunt eidem sanguine juncti Collaterales taliter, quòd proximior gradu semper totaliter excludat remotiorem. Et quidem omnium primò fratres & sorores germani, id est ab utroque parente tam matre nempe, quàm patre conjuncti defuncto die rechte Schwester und Brüder, sive die geschwister von beyden Bandten, oder voller Geburth æqualiter & in capita succedunt, penitus exclusis fratribus & sororibus consanguineis, id est, ex solo patre, & uterinis, sive ex sola matre junctis. Caret contro-



troverſa, ob clara Jura Novell. 118. cap. 3. & Authen. Itaque. C. Communia. de Success. ibi: Itaque mortuo Itaque familiae, si filius decedat intestatus sine liberis, relicti fratris & sororibus aliis consanguineis, aliis uterinis, & quibusdam ex utroque parente conjunctis, in eos solos transmitti hereditatem qui ex utroque latere conſeſſi sunt. Ratio est, quod licet etiam consanguinei & uterini aequè sint in primo gradu, ac fratres germani, tamen quia duplex vinculum plus ligat quam simplex, meritiò Jura germanos alios fratribus præponunt.

38 Resp. II. Si unà cum defuncti fratribus & sororibus germanis extent aliqui fratris aut sororis germanæ prædefuncti liberi, tunc hi quoque cum illis ab intestato succedunt, ita tamen, ut fratres & sorores in capita, liberi verò hujusmodi in stirpem loco patris jure repræsentationis veniant, tantum omnes simul capientes, quantum eorum parens, si viveret, accepisset. Unanimis & certa, apertis Juribus Novell. cit. 118. cap. 3. §. Si autem defuncto. ibi: Si autem defuncto fratres fuerint, & alterius fratris, aut sororis præmortuorum filii, vocabuntur cum illis ad hereditatem etiam isti, & quantum fuerint, tantam ex hereditate percipient portionem, quantum eorum parens futurus erat accipere, si superstes esset. Idem habetur in Authen. Post fratres autem. C. de Legitim. hæred. ubi etiam, sicut & in cit. Novell. 118. cap. 3. ordinatur, quod hujusmodi præmortui fratris liberi etiam excludant fratres & sorores ex uno parente tantum conjunctos; licet enim (addendo rationem pergit Novella) frater vel soror ex uno parente sit in secundo gradu junctus defuncto, præmortui fratris germani, liberi autem in tertio, nihilo minus quia hi privilegio Juris suum patrem repræsentant, ejusque loco succedunt, pater autem eorum, si viveret, utpote germanus defuncti frater excluderet uterinos & consanguineos, etiam liberi ejusdem excludunt: ob eandem rationem præmortui fratris liberi excludunt patrum defuncti, id est, fratrem sui patris, & avunculum, id est, fratrem suæ matris: sicut & amitam sororem scilicet patris; & materteram sororem nempe matris, cit. Novell. 118. cap. 3. §. Illud palam. & Authen. Post fratres autem C. de Legit. hæred. Notandum tamen, quod jus repræsentationis, quo cum defuncti fratribus in stirpem succedunt fratrum liberi, ulterius non extendatur ad descendentes collaterales, ut proin, si præmortuus frater defuncti relinqueret nepotes, hi cum fratribus defuncti, vel fratrum liberis non succederent, nec etiam fratres aut sorores ex uno parente excluderent; uti expressè cavetur cit. Novell. 118. cap. 3. §. Hujusmodi verò privilegium. Ratio est, quia jus repræsentationis ultra fratrum filios in linea collateralali se non extendit, arg. Authen. Post fratres, fratrumque filios C. de Legit. hæred.

39 Resp. III. Quando nullis defuncti fratribus aut sororibus germanis, nec aliquibus ex uno parente conjunctis extantibus soli supersint ex defuncti fratris & sororibus germanis liberi, tunc hi omnes succedunt in capita, etiam si plurium fratrum, aut in diverso numero sint liberi; v. g. Si Titius reliquit tres liberos ex præmortuo fratre germano, & sex ex præmortua sorore germana, dividitur hereditas in novem partes æquales æqualiter inter novem dictos liberos dividendas. Ita Fachin. lib. 6. cap. 3. Molina Disp. 164. nu. 12. Covarruvias in Epitome success. n. 12. Mynsinger Cent. 3. observ. 94. Piching h. t. cum communiori & vectori aliorum, quos copiosè citat Harprecht contra Glossam in Authen. Cessante §. Stirpes. C. de Legit. hæred. Accurs. in dictam Authen. Cessante. & plures alios. Probatur Conclusio ex L. 2. §. 2. ff. de

Suis & legit. hæred. ibi: Duos fratres habuit, unus ex his unum filium, alius duos reliquit, hereditas mea in tres partes dividetur. & l. penult. ad fin. C. de Legit. hæred. ubi de liberis fratrum & sororum ita habetur: Illo procul dubio observando, ut successio non in stirpes, sed in capita dividatur, & is gradus in ordinem legitimum transferatur. Eandem sententiam speciali Constitutione in Comitibus Spirensibus cum consensu Statuum Imperii approbavit Carolus V. Imperator 1529. Tit. Kayserliche Constitution und Satzung, wir Brüder und Schwester Kinder &c. ut proin in terris Imperii sententia nostra omnino præferri debeat. Ratio est, quia quando filii fratrum soli existunt, nulla opus est repræsentatione, cum in tali casu filii proprio conjunctionis jure, & ex propria persona succedant, consequenter etiam hereditatem æqualiter, utpote æquales in gradu dividant.

Dices, Jura allegata correctà fuisse à Jure novo Novell. 118. cap. 3. ubi aperte habetur, quod filii fratrum, patruo suo jure repræsentationis, consequenter in stirpes succedant; ergo. Resp. negando Ant. quia dicta Novella Jus antiquum solummodo corrigat, si forte fratrum patruo suo in stirpem succedere dicit in casu, quo cum eis etiam concurrunt defuncti fratres & sorores: ibi: Si defuncto fratres fuerint, & alterius fratris, aut sororis præmortuorum filii: consequenter cum in hoc solo casu Jus antiquum corrigat, in reliquo illud intactum relinquit; præsertim cum Exceptio unius firmet Regulam in contrarium, & Juris correctoria non sint extendenda, c. Que à communi. 28. de R. Jin 6. & Reg. 141. ff. eod.

Resp. IV. Si præmortuis fratribus & sororibus germanis existant liberi cum fratribus & sororibus ex uno parente conjunctis defuncto, tunc soli quidem tales liberi exclusi patris suis ex uno parente conjunctis ab intestato succedunt in stirpem, non autem in capita. Fachin. lib. 6. cap. 3. Piching h. t. n. 20. Harprecht, Manz, & communior aliorum, quod secundam partem, quod nempe non in capita, sed in stirpes tali in casu succedant. Prima enim pars, quod excludant patros ex uno parente conjunctos, certa est, clarèque patet ex cit. Novell. 118. cap. 3. §. Unde consequens. Ex quo eodem loco etiam secunda pars deducitur. Cujus ratio est, quia, quando liberi præfati cum defuncti fratribus ex uno parente concurrunt, non nisi jure repræsentationis succedere, & dictos fratres excludere possunt; quia nempe pater illorum, eosdem excluderet, atqui si jure repræsentationis succedent, in stirpes succedunt, ut patet, ergo.

Resp. V. Quando nec fratres nec sorores ex utroque parente conjuncti, nec liberi eorum post mortem defuncti existunt, tunc ab intestato succedunt fratres & sorores ex uno parente conjuncti, consanguinei nempe & uterini die Stieff- oder Halbe-Brüder, und Schwwestern, similitque horum præmortuorum liberi. Unanimis, Jure ita disponente, læpè citatà Novell. 118. cap. 3. §. His autem. ibi: His autem non existentibus in secundo ordine illos fratres ad hereditatem vocamus, qui ex uno parente juncti sunt defuncto, sive per patrem solum, sive per matrem. Et Authen. Post fratres autem. C. de Legit. hæred. ibi: Post fratres autem ex utroque parente, & eorum filios admittuntur ex uno latere fratres, sororesque, cum quibus & filii eorum, si qui ex eis jam discesserint. Servatur autem idem succedendi ordo inter hos, qui inter defuncti fratres germanos, & prædefunctorum liberos: videlicet, quod si liberi cum fratribus concurrunt, succedant fratres in capita, liberi in stirpem utpote in locum patris jure repræsentationis: si verò soli horum fratrum liberi extent, succedant in

stirpem; utpote proprio jure, non jure repræsentationis vocati, juxta dicta supra num. 39. Et sicut fratres ejusmodi excludunt patrum, & avunculum &c. ita etiam eorum liberi; idque jure repræsentationis, textu claro Authen. Post fratres autem. C. de Legit. hæred. Ratio est eadem, quæ supra.

43 Controversia hic est inter DD. An si defunctus relinquit consanguineos & uterinos fratres, an hi æqualiter sine distinctione bonorum, in capita succedant: an verò uterini in bona materna, id est, illa, quæ defunctus à matre obtinuit; consanguinei verò in paterna, id est, illa, quæ à patre obtinuit, succedant. Covarruvias in Epitome success. n. 13. §. Tertio est advertendum. Molina Disp. 164. n. 7. Bartolus in Authen. Itaque. C. Communia. de Success. Jason in l. Post dotem. ff. Solutio Matrim. Piching h. t. & Communissima aliorum cum Glossa in Auth. Post fratres autem. §. Filii eorum, docent omnino habendam esse bonorum differentiam in successione, ita ut fratres uterini, id est, à matre conjuncti defuncto, eidem succedant in bonis, quæ à matre ad eum pervenerunt: consanguinei verò in bonis paternis, seu quæ à patre defunctus obtinuit: in aliis verò bonis æqualiter succedant. Fundamentum eorum præcipuum, & vix non unicum est, l. De Emancipatis. 13. §. 2. Cum enim & Pater. C. de Legit. hæred. ubi sic habetur: Exceptis maternis rebus, in quibus, si de eadem matre fratres vel sorores sunt, eos solos vocari oportet. Quibus non obstantibus,

44 Resp. II. Etiam concurrant fratres & sorores partim uterini, partim consanguinei, id est, partim à sola matre, partim à solo patre conjuncti defuncto, nihilominus eidem in omnibus bonis æqualiter succedant, nulla habita ratione, an bona à patre, vel matre proveniant. Ita Fachin. lib. 6. cap. 5. Fulgos. & Corneus in Authen. Itaque. C. Communia de Success. Hainoldus Tract. 5. cap. 3. Contrav. 4. n. 515. Baldus, Salycet. Bachov. & alii, inter quos etiam numeratur Manz. dicens, oppositam sententiam autoritate potius, quam Jure niti. Probatur autem Conclusio imprimis ex Novell. 118. cap. 3. ubi expressè habetur, quod deficientibus germanis succedant illi fratres, qui ex uno parente conjuncti sunt defuncto, sive per patrem solum, sive per solam matrem; ut, ut vides, Imperator æqualiter vocat consanguineos & uterinos ad successionem defuncti, nulla facta mentione differentie bonorum, quam certè fecisset, imò facere debuisset, si hujusmodi differentie rationem haberi voluisset, hoc ipso, quod condens Novellam promiserit, se omnes successiones, ab intestato clarè graduum divisione velle disponere, in eum nempe finem, ut jus successionis liquidum, & ab omni controversia liberum esset. Ratio Conclusionis est, quia postquam bona à patre, & matre venerunt ad fratrem, desierunt esse bona paterna & materna, & illicè incæperunt esse bona proprio fraterna; atqui ad hæc vigore cit. Novell. 118. consanguinei sine differentia illa æqualiter succedunt; ergo.

45 Confirmatur. Ex sententia opposita sequeretur plura absurda: Et quidem Primò, quod in casu, quo cuncta bona à patre, & nihil à matre forsitan paupere ad defuncti fratres pervenirent, consanguineus uterinus totaliter excluderetur, solusque in cuncta bona succederet, uterino penitus nihil capiente, quod est planè contra mentem & verba Imperatoris, utpote qui in citata Novell. 118. ambobus universaliter & pro omni casu ad successionem vocat. Sequeretur secundò, quod uterini etiam cum germanis admittendi essent ad successionem bonorum à matre provenientium, & consanguinei ad successionem bonorum à patre habitorum, quod

tamen contra ipsos Adversarios, & expressum textum Novellæ 118. est. Tertio sequeretur ex opposita sententia continuè ac innumere lites inter uterinos & consanguineos, singulis, hæc vel illa bona à matre potius quam à patre, vel econtra provenire contententibus: sententiam nostram sequuntur statuta Bavaricæ Land Rechi Tir. 41. a. 2.

Ad L. 13. C. de Legit. hæred. respondent aliqui, 46 eam esse correctam à Novell. 118. cap. 3. Fachin. verò loc. cit. dicit, textum ibidem non loqui de uterinis, qui à sola matre conjuncti sunt defuncto, sed de germanis, id est, illis, qui tam à patre quam à matre conjuncti sunt defuncto, quos Imperator ibidem quoad bona à matre provenientia præferri volebat consanguineis, etiam illo tempore, quo olim consanguinei cum germanis succedebant. Quod verò textus ibidem non de uterinis, sed germanis loquatur, ostendit Fachin. ulterius solidè ex eo, quia eo tempore uterini nullatenus ad successionem fratrum fuerunt admitti; cum hæc eisdem primò fuerit concessa per l. Mammimus. 15. C. de Legit. hæred. quæ est posterior l. de Emancipatis. 13. C. eod.

Resp. VII. Penitus nullis existentibus fratribus 47 & sororibus, nec liberis eorum, succedunt ab intestato cæteri collaterales sanguine juncti, sine ulla distinctione aut differentia agnationis, vel cognationis, vel bonorum paternorum aut maternorum, secundum prærogativam gradus, ita ut gradu proximior excludat remotiorem, pares autem gradu pariter succedant non in stirpes, sed in capita; textus expressus habetur in læpè citata Novell. 118. cap. 3. §. 1. & Authen. Post fratres. C. de Legit. hæred. ibi: Post fratres fratrumque filios vocantur quicumque gradu sunt proximiores, ut pares in gradu pariter admittantur, sublata differentia masculinorum & femininarum. Et autem divisio in capita non in stirpes. Quosque autem, sive ad quem usque gradum hæc successio Collateralium extendatur, an in infinitum ut aliqui volunt, an verò solum usque ad decimum gradum, inutulis videtur questio, eò quod ultra decimum gradum, casus successionis ab intestato vix contingat.

Cæterum quæ hæcenus de successione fratrum, & collateralium diximus, intelligenda sunt de legitimis & naturalibus simul, sive de procreatis ex legitimo Matrimonio, de Reliquis vero conclusiones dandæ ad subsequens Questum.

48 Quartus III. Quomodo legitimi tantum seu adoptivi, & illegitimi Collaterales succedant? Resp. I. Filius adoptivus non succedit fratribus naturalibus, id est, filiis patris adoptantis, nec aliis agnatis, vel cognatis, nec illi fratri filio adoptivo. Schneidevvin. lib. 3. tit. 1. de Tertio ordine succedentium. n. 41. & alii. Textus est in l. penult. §. 1. §. Et idem. C. de Adop.

Resp. II. Fratres naturales, spurii, ac cæteri hujusmodi naturales ex uno patre, vel linea paterna diversis tamen matribus provenientes, sibi invicem ab intestato nullatenus succedunt. Ita statuitur l. Si spurii. 4. ff. unde cognati. Schneidev. lo. cit. n. 42. Engelh. t. n. 13. Covarruvias de Matrim. p. 2. cap. 8. §. 5. n. 26. dicens hæc esse receptam omnium sententiam. Neque succedunt fratri legitime procreato, nec legitimo, nec illi illis. Schneidev. lo. cit. arg. Novell. 89. cap. 4. ubi deciditur, quod filius naturalis etiam legitimatus soli patri, non autem cæteris Collateralibus succedat: & per consequens nec hi illi; quia hæc successio reciproca est, ita ut legitimus succedere non possit illegitimo, in casu, quo illegitimus succedere non valet legitimo: uti post alios bene advertit Covarruvias in Epitome success. ad finem. arg. cit. Novell. 89. cap. 4.



50 Resp. III. Fratres naturales, ac spurii, ceterique hujusmodi Collaterales uterini, seu ex materna linea conjuncti succedunt, & sibi invicem, & collateralibus legitime natis, & cum illis eodem modo, ac si legitime nati forent. Covarruvias de Matrim. lo. cit. Schneidev. lo. cit. n. 44. Engel lo. cit. & communis aliorum, textus expressus habetur in L. 2. & l. Sispurius. q. ff. Unde cognati.

51 Resp. IV. Nati ex damnato coitu collaterales, nec sibi invicem, nec legitime, nec hi illis ab intestato succedere possunt, sive deinde ex linea paterna, vel materna sint conjuncti. Covarruvias lo. cit. Schneidev. lo. cit. n. 47. Decius Consil. 311. Fachin. lib. 6. cap. 10. & teste Schneidev. Communis aliorum contra Nicol. de Ubald. de Succes. ab intest. p. 3. col. 4. Curt. juniorem Consil. 123. & alios apud Covarruviam, arg. cit. Auth. Ex complexu. C. de incest. & inu. nupt. & Novell. 89. cap. 15. ubi adeo odibiles reputantur taliter nati, ut non tantum ab omni successione, sed etiam ab alimentacione parentum excludantur, ergo multo magis a successione Collateralium. Concordant statuta Bavariae, Land-Recht Tit. 39. a. 7.

§. IV.

De Successione Conjugum, & Fisci: ubi etiam specialiter de Successione in bona Clericorum.

S U M M A R I U M.

- 52 Omnibus deficientibus Consanguineis defuncti succedit conjux.
  - 53 Si fuerit Matrimonium legitimum: nec adsuat divortium tempore mortis. Causa cessante cessat effectus. Ibid.
  - 54 Et nisi in contrarium adsint pacta dotalia, & statuta vel consuetudines particulares.
  - 55 Uxor pauper accipit quartam partem, vel partem virilem ab intestato.
  - 56 Nisi obis divortium, vel pacta dotalia, aut statuta.
  - 57 Unde aliunde bona sufficientia habens penitus excluditur a successione per sanguine junctos.
  - 58 Num autem etiam maritus pauper, uti uxor succedat? controversia est.
  - 59 Nullo alio haerede existente succedit Fiscus. Et num. seq.
  - 60 In bona Clerici parimonialia, & quasi parimonialia succedunt consanguinei.
  - 61 Vel his deficientibus Ecclesia, in qua Beneficium habuit.
  - 62 Si non habuit, Fiscus Episcopalis.
  - 63 Fiscum habet Episcopus. Ibid.
  - 64 In bona Clericorum merè Ecclesiastica ab intestato succedit successor: & quomodo?
  - 65 Consuetudo, vi cuius succedunt consanguinei illicita, & invalida est.
  - 66 Clerici tenentur facere Testamentum ad causas pias, vel bona superflua in eisdem causis adhuc in vivis erogare.
- 52 Quæritur I. Quando, & quomodo sibi invicem succedant Conjuges? Resp. I. Quando nec descendentes, nec ascendentes, nec collaterales sanguine juncti defuncto supersunt, tunc eidem succedit Conjux excluso Fisco; nisi in contrarium adsint pacta dotalia, aut statuta, vel consuetudines locorum. Communis ac certa, claris Juribus l. un. C. Unde vir & uxor. ibi: Maritus & uxor ab intestato invicem sibi in solidum pro antiquo Jure succedunt, quoties deficit omnis parentum, liberorumve seu propinquorum

legitima, vel naturalis successio, Fisco excluso. Eius matrimonium non sit consummatum; quia nuptias non concubitus sed consensus facit, l. Nuptias. 30 ff. de R. I.

Dummodò Matrimonium sit legitimum l. un. ff. 53 Unde vir & uxor. ibi: Justum matrimonium esse oportet &c. nihil enim capi propter injustum matrimonium potest. Et tempore mortis unius nullum inter eos fuerit divortium etiam quoad thorum, vel cohabitationem. cit. l. un. ff. Unde vir & uxor. ibi: Ut autem hæc successio locum habeat, oportet uxorem esse mortis tempore. sed si divortium secutum sit, hæc successio locum non habet. Ratio est; quia causa hujus mutæ successio est individua conjunctio maris & feminae L. 1. de Ritu nupt. quæ quia per divortium cessat, cessat etiam jus succedendi, cum cessante causa cesset etiam effectus, c. Cui Cessante. 60. de Appell.

Dicitur autem notanter in Conclusionem nisi in contrarium adsint pacta dotalia, vel statuta, aut consuetudines locorum; quia ut cum communi aliorum bene advertit Schneidev. lib. 3. Tit. I. de Tertio ordine success. de success. inter virum & uxorem. Engel h. t. n. 15. Mysinger Cent. 2. observ. 33. ante omnia attendendum est, an, & quæ adsint pacta dotalia sive nuptialia inter conjuges, Germanis Heyrath-Nadl, atque juxta eadem procedendum; quavis enim pacta etiam dotalia futurae successiois alias de Jure sint invalida, l. Pactum. 15. & fin. C. de Pactis, & l. Hereditas. 5. C. de Pactis conventis. junctâ l. Stipulatio. 61. ff. de V. O. consuetudine tamen ubique saltem in Imperio Romano recepta valent, & observari debent, arg. c. fin. de Consuetud. Deficientibus verò pactis dotalibus attendenda erunt statuta, & consuetudines locorum, utpote quæ Juri communi derogant arg. cit. c. fin. de Consuetud. junctâ l. De quibus. 32. ff. de Leg.

Resp. II. Si moriens maritus dives relinquat liberos, vel alios sanguine junctos, & uxorem, indotatam verò, ac pauperem, caput uxor ab intestato quartam partem hereditatis, si non sint plures quam tres liberi: si verò quatuor aut plures liberi extant, succedit in parte virili, id est, accipit tantam portionem, quantum quævis proles legitima einen Kinds-Theil. Pariter cum Collateralibus ab intestato in quarta parte succedit, si hi deficientibus defuncti descendentes vel ascendentes ab intestato succedunt. Ubi tamen notandum, quod si uxor unâ cum liberis marito succedat, tantum ulimum fructum portionis sibi debite ad dies vite habeat, proprietatem autem liberis asservere debet; si verò cum collateralibus succedat, etiam proprietatem suæ portionis acquirat. Ita clarè statutum habetur Authen. Præterea. C. Unde vir & uxor, & Novell. 117. cap. 5. & Novell. 53. cap. fin. In hanc tamen portionem imputatur etiam illud, quod eidem à marito legatum vel relictum est, cit. Authen. Præterea. Ratio autem Conclusiois est; ne uxor in opprobrium conjugis defuncti mendicare, aut aliis non secundum statum decenter vivere cogatur: adeoque in honorem & reverentiam bene tractati matrimonii, arg. l. Unum ex familia. 67. §. ff. ff. de Leg. 2. & ne afflictio addatur afflictæ.

Porrò, ut præata Conclusio locum habeat, 56 requiruntur etiam conditiones n. 53. postea, hæc tamen cum limitatione, quod si maritus sine legitima causa repellat à se uxorem, hæc nihilominus cum liberis, vel collateralibus portionem sibi debitam acquirat, textu expresso Novell. 117. Insuper requiritur, ne pacta dotalia aut statuta vel consuetudines locorum obstat, per dicta n. 54.

Dicitur autem notanter in Conclusionem, uxorem 57 indotatam & pauperem: si enim uxor dotem viro attulit, uxor verò soluto matrimonio iterum

repetit,

§. IV. De Successione Conjugum, & Fisci: &c.

repetit, c. fin. de Donation. inter virum & uxor. consequenter eidem de bonis mariti nil debetur, arg. cit. Authen. Præterea, ibi: Si absque dote: dummodò uxori ad sustentationem sufficiat: modica enim aut ad sustentationem insufficientis dos non impedit uxorem, quo minus cum liberis aut sanguine junctis præfato modo succedat; uti cum aliis bene advertit Schneidev. lo. cit. n. 17. eò quod stante tali dote, adhuc eadem ratio & æquitas militet, ne videlicet mendicare cogatur, aut indecenter vivere. Insuper pauper esse debet, etiam enim dotem viro non attulerit, si tamen aliunde media sua habet, nihil eide bonis mariti debetur. Authen. Præterea. C. Unde vir & uxor. ibi: Si superflus laborer inopia. Concordat Novell. 53. cap. fin. ad finem, ibi: Nam si aliunde habet, non erit justum gravare filios per successionem. Quandoque autem uxor dicatur inops & pauper, & quando vir dives, reliquitur arbitrio Judicis juxta Glossam in cit. Authen. Præterea. §. Locuples, qui considerabit substantiam superfluitatis, an ad viduum & velitum congruum pro qualitate personæ sufficiat: & eontrâ an substantia præmorientis ad viduum & velitum hæredis ac conjugis superfluitatis sufficiens sit, computatis semper inopis superfluitatis in quartam partem, juxta DD. in præfata Authen.

58 Cæterum, utrum Conclusio procedat etiam de marito, ita ut hic recipere cum liberis, aut sanguine junctis uxoris succedat in quartam vel virilem partem, casu quo uxor dives præmoriens relinquat pauperem maritum, difficultate non caret, quamvis enim Schneidev. lo. cit. n. 17. Engel h. t. n. 15. Glossa prim. in cit. Authen. Præterea, & ibi DD. communiter affirmativam teneant, arg. cit. Authen. Præterea. C. Unde vir & uxor. ubi indistinctè de conjuge superfluitate ita habetur. Præterea si matrimonium sit absque dote, conjux autem præmorientis locuples sit, superflus verò labore inopia, succedat unâ cum liberis communibus alteriusve matrimonii in quartam, si sint tres, vel pauciores, quod si plures in virilem portionem. & Novell. 53. cap. 6. ubi hæc sententia expressè traditur illis verbis: Si inops aut vir aut mulier inveniatur, & moriens quidem aut vir, aut mulier locuples sit, ille verò, vel illa superflus pauper existat. Cui etiam identitatis ratio accedere videtur. Nihilominus scrupulum movent novissimæ Constitutiones Novellæ 117. cap. 5. in fine: virum enim talibus casibus quartam secundum priorem nostram Legem ex substantia mulieris accipere, omnibus modis prohibemus. Quæ verba considerationi legentium, præsertim Legistarum relinquuntur.

59 Quæritur II. An, & quando ab intestato succedat Fiscus? Resp. I. Si nullum ex qualibet linea, aut Juris titulo Legitimum reliquerit institutum hæredem, sunt verba l. Vacantia. 4. C. de Bon. vacant. Antequam autem Fiscus bona intestati capiat, prius faciendâ est publica promulgatio, quæ denunciatur, ut si quis ad hæreditatem jus habere putet, compareat inter certum præfixum tempus, intra quod si nemo se insinuat, bona vacantia censentur l. fin. C. eod. Limitatur tamen Conclusio in casu morientis peregrini; utpote cujus bona, si hæres ignoratur, aut bona eidem tradi non possunt, per manus Episcopi in causas erogari debent, textu claro Authen. Omnes peregrini. C. Communia de Success. ibi: Peregrini, si intestati decesserint, nihil ad hospitem pertinet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in pias causas erogentur.

60 Resp. II. Insuper succedit Fiscus in casu, quo alicui indigno hæreditas auferretur. Quibus autem tanquam indignis hæreditas auferretur, vide Tit. ff. & C. de his, quæ ut indignis hæreditas auferretur, & ibi Legistas.

Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

Quæritur III. Quisnam succedat in bona Clericorum? Resp. I. In bona Clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia, & parimonialia ab intestato succedunt consanguinei legitimi Clericorum, eodem modo, & jure, quo in bona Laicorum succedunt. Abbas in c. 1. h. t. num. 1. Barbosa ibid. n. 2. Engel h. t. n. 1. Glossa in c. 1. §. Tradantur. h. t. cum communi arg. can. fin. cau. 12. q. 5. Ratio est; quia cum horum perfectus sit dominus Clericus, ita ut de eis pro libitu disponere possit juxta dicta Tit. 25. de Pecul. Cleric. eodem modo, quo de bonis Laicorum quoad successionem ab intestato discurrendum est. Dicitur autem notanter legitimi, quia de illegitimis idem dicendum est, quod de illegitimis consanguineis Laicorum diximus; ut proin filii Clericorum ex damnato coitu non nisi alimenta ex hæreditate Clerici parentis capiant.

Resp. II. Si Clericus consanguineos successiois 64 capaces non habet, in dicta bona patrimonialia, industrialia, & parimonialia, succedit Ecclesia, cui servivit, seu in qua Beneficium habuit, excluso Fisco Episcopali. Abbas in c. 1. h. t. n. 2. & 3. Barbosa ibid. n. 2. Pithing h. t. n. 26. Engel cod. n. 22. Bellet. Disquisit. Cleri. p. 1. §. 14. n. 2. & Communis aliorum, textus expressi habentur con. 2. cau. 12. q. 3. & can. fin. ead. cau. q. 5. juncto c. 1. h. t. ubi Summarium sic habet: Clericus bona propria dare potest, cui vult, sed si decedat injustus, & non habet consanguineos, succedit Ecclesia: idem dicit textus. Ratio congruentis est; quia Ecclesia Clericus est loco ipsius & uxoris: unde sicut uxor Laici, deficientibus consanguineis succedit excluso Fisco laico, ita etiam succedit Ecclesia tanquam uxor Clerici.

Resp. III. Si Clericus intestatus moriens Beneficium non habuit, nec consanguineos reliquit, succedit in bonis propriis, patrimonialibus nempe, quasi patrimonialibus, & industrialibus Fiscus Episcopalis. Abbas in c. 2. h. t. nu. 2. Bellet. Disquisit. Cleri. p. 1. §. 14. n. 2. Engel h. t. n. 22. Pithing h. t. n. 16. Peregr. de Jure Fisci. lib. 4. tit. 3. n. 10. & Communis aliorum. Ratio desumitur à pari: Nam sicut deficientibus consanguineis & uxore Laici succedit Fiscus secularis, juxta dicta n. 59. deficientibus consanguineis, & Ecclesia tanquam uxor Clerici, succedit Fiscus Ecclesiasticus, cum etiam Episcopus suum Fiscum, ac jura Fiscalia habeat, uti bene notat Abbas lo. cit. Engel h. t. n. 22. Bellet. lo. cit. n. 8. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Alleg. 107. n. 16. Notant tamen Doctores citati, præsertim Abbas lo. cit. & in c. 1. ad finem, non posse Episcopum in tali casu sibi ipsi appropriare hujusmodi bona propria Clericorum ad Fiscum suum pertinentia, sed debere erogare in causas pias.

Resp. IV. In bona merè Ecclesiastica Clerico- 64 rum, seu in bona respectu & intuitu Ecclesie seu Beneficii acquisita, ab intestato semper succedit successor Beneficii, & quidem solus, si Clericus non fuit ex Communitate vel Collegio Clericorum, ut sunt Episcopi, Parochi, Beneficarii simplices privati: totum verò Collegium, seu Communitas, quando Clericus Beneficiatus illius membrum fuit (uti Canonici Cathedralis, & Collegiati) succedit, ita tamen, ut hæreditatem non sibi appropriare possint, sed in usus pios fideliter distribuere debeant. Pithing h. t. n. 27. & Tit. de Testam. n. 26. Engel cod. n. 22. Abbas in c. Relatum. 12. de Testam. n. 1. & ibi Doctores communiter. arg. c. 1. & c. Relatum. 12. de Testam. ibi: Respondemus quod generaliter bona quælibet per Ecclesiam acquisita, eis Ecclesie debent juxta Lateranense Concilium post acquirentis obitum remanere. Nomine autem Ecclesie non Episcopus, vel successor

Z z z

Cleric



Clerici mortem, ubi est Collegium Clericorum, sed communis Congregatio intelligitur, quae illarum rerum debet Canonice distributionem, & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum unus est ordinandus, is ea bona, sicut & alia ipsius Ecclesiae in Dei timore dispenset.

- 65 Resp. V. Quamvis passim, praesertim in Germania vigeat consuetudo, quod consanguinei Clericorum in cuncta eorandem bona tam Ecclesiastica, quam propria indirecte ab intestato succedant; nihilominus consuetudo haec quoad bona Ecclesiastica, illicita & invalida est, ac per consequens non tantum peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur dicti consanguinei, si quid de bonis merè Ecclesiasticis scienter accipiunt. Haec conclusio necessario sequitur ex dictis Tit. 25. de Peculio Clericorum. à nu. 30. & 52. cum enim juxta dicta Clerici non sint domini bonorum Ecclesiasticorum, neque de his valide aut licite testari valeant, sed omnia Jure Divino teneantur erogare in pias causas, non obstante quacunque consuetudine, consequens est, neque consuetudine fieri posse; quod in dicta bona ab intestato succedant haeredes profani, consanguinei nempe Clericorum; cum non nisi in bona propria defuncti detur successio ab intestato, & contra Jus Divinum non tantum illicita, sed & invalida sit consuetudo; prout amplius dictum & probatum est cit. Tit. 25. de Peculio Clericorum. a. n. 50. & Tit. praeced. n. 333. & seqq. ubi etiam Objectiones Adversariorum solvimus.

- 66 Hinc repetimus etiam doctrinam in praeced. Tit. num. 393. traditam, quod videlicet Clerici bona superflua merè Ecclesiastica habentes, teneantur sub peccato mortali ea vel in vivis erogare in causas pias, vel ad eandem causam de iisdem bonis facere Testamentum, ut aliam ultimam voluntatem, nisi forsitan haeredes consanguinei Clericorum ab intestato successuri sita sint pauperes, ut cunctis bonis Ecclesiasticis Clerici superfluis ipsimet indigeant. Ratio est; quia, cum scient, vi corruptelae introducit consanguineos cuncta ab intestato accepturos, sicque magnum praedictum causis piis illaturos, debent, si facile possunt, illud impedire: possunt autem facillimè, disponendo nempe ad causas pias, consequenter disponere tenentur, & non disponens est causa indirecta gravis damni causarum piarum, in qua reus gravis delicti.

Dicitur tamen notanter, nisi consanguinei ejusdem adeo essent pauperes &c. his enim sicut licite, & valide Testamentum, ita etiam ab intestato relinquere potest bona Ecclesiastica superflua Clericus: cum non sit major ratio de uno, quam alio. Arguendum hic foret etiam de Successione ab intestato, quam Monasteria loco Professorum suorum succedunt. Verum, quia de hoc in Tit. de Regularum agemus, hic supersedemus.

## TITULUS XXVIII.

## De Sepulturis.

## I Ratio continuationis.

IN praecedentibus ultimis duobus Titulis actum est de Testamentis, & aliis ultimis voluntatibus, nec non de Successione ab intestato, quae non nisi post mortem suam fortiturr effectum, c. Cum Marthe. 6. de Celebrat. Missi. Hinc quia mortem illic sequitur Sepultura, recto ordine praefatis praecedentibus sequentem subjungit Titulum Compiler Canonum.

## De Natura, Loco &amp; Jure Sepulturae.

## SUMMARIUM.

- 2 *Varia acceptio Sepulturae.*
- 3 *Sepulturae definitio.*
- 4 *Locus Sepulturae ordinarius est Coemeterium.*
- 5 *Quae etiam ab Ecclesiis remota esse possunt: & quare?*
- 6 *In Ecclesiis olim nemo poterat sepeliri: bene tamen hodie.*
- 7 *Dissuadetur abusus, quo nimis multi sepeliuntur in Ecclesiis. Et num. seq.*
- 9 *Ubi quis eligit Sepulturam, ibi sepeliri debet.*
- 10 *Si nulla eligitur Sepultura, quis sepelitur in sepulchro Majorum.*
- 11 *Majorum & parentum nomine qui veniant? Item quid Juris, si Majores in diversis jacent sepulchris?*
- 12 *Qui non habet Sepulturam Majorum, nec aliquam sibi eligit, sepelitur in sua Parochia.*
- 13 *Clerici non Beneficiarii ibi sepeliuntur, ubi Laici.*
- 14 *Beneficiarii vero ibi, ubi Beneficium habent, etsi alibi domicilium habeant.*
- 15 *Solvitur obiectio. Et duobus num. seqq. Domicilium habet Clericus, ubi residet. Ibid.*
- 18 *Religiosi sepeliuntur in suo Monasterio, si ibi, vel extra in loco tamen propinquo moriuntur: si in remoto loco, ibidem, vel in sepultura electa sepeliuntur.*
- 19 *Si è loco propinquo deferuntur ad Monasterium, nihil debetur Parocho loci.*
- 20 *Novitii sepeliuntur in Monasterio. Gaudent privilegiis Religiosi. Ibid.*
- 21 *Domestici & servitiales Religiosorum, in eorum Ecclesia, vel Coemeterio sepeliuntur.*
- 22 *Uxor vidua sepelitur in sepulchro viri, etsi post mortem mariti in aliam Parochiam secedat.*
- 23 *Uxor adhuc ligata ubi sepelitur?*
- 24 *Idem quod de uxore, etiam reciproce de marito dicendum est ratione sepulturae.*
- 25 *Solvitur obiectio. Vocabulo femineo non continetur masculus. Ibid.*
- 26 *Hospites & peregrini transientes sepeliuntur in propria Parochia, si illuc commode portari valent: secus in Parochia loci, ubi decedunt.*
- 27 *Solvitur instantia.*
- 28 *Peregrini & advenae diu alicubi habitantes sepeliuntur in loco, ubi moriuntur. Consuetudo est optima Legum interpret. Ibid.*
- 29 *Jus Sepulturae de Jure communi competit Ecclesiae Parochiali.*
- 30 *Idem Fratribus Praedicatoribus, & Minoribus ex speciali privilegio.*
- 31 *Invitis Regularibus apud eisdem nemo sepeliri potest.*
- 32 *Ad eligendam alicubi Sepulturam nemo potest induci.*
- 33 *Paucianter Superiores locales, & Clericos seculares circa Sepulturam observari debent.*
- 34 *Corpus defuncti, qui Sepulturam apud Regulares elegit, non possunt Regulares sine requisitione & praesentia Parochi levare, & ad suas Ecclesias deferre, nisi Parochus requisitus consentire, vel venire recuset.*
- 35 *Non tenentur corpus prius deferre ad Ecclesiam Parochialem.*
- 36 *Exequias, & actum Sepulturae peragunt Religiosi, non Parochus loci.*
- 37 *Regulares, & Communitates comitantes funus debent*

## §. I. De Natura, loco, &amp; Jure Sepulturae.

bens prius ad Ecclesiam Parochialem pergere, & inde prius cum clero ad domum defuncti. 38 Haeredes non tenentur curare Officia, & Missas fieri in Ecclesia Parochiali, casu quo apud Regulares electa est Sepultura.

- 2 **N**otandum prius Sepulturam tripliciter accipi. I. Puro Jure sepeliendi corpora, seu cadavera mortuorum. arg. Clem. 2. h. t. & aliis Juribus infra citandis. II. Pro ipso loco, in quo cadavera sepeliuntur. can. Aurum. cau. 12. q. 2. & c. 3. h. t. cum concordantibus. III. Pro actu, ritu, seu officio, quod in humanis & sepeliendis corporibus impenditur. can. Diclum. 105. cau. 1. q. 1. & can. Praecipendum. 15. cau. 13. q. 2. In praesenti praecipue erit sermo de Sepultura in secundo sensu, quatenus nempe signifi- cat locum, in quo cadavera mortuorum sepeliuntur. Et de hac

Quaeritur I. Quid fit Sepultura? Resp. Est locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum pie deponuntur sepeliuntur. Ita Glossa in can. 14. cau. 13. q. 2. §. Si terram. Abbas in Rubr. h. t. n. 1. & in re Communis; pateque definitio ex terminis. Dicitur Locus benedictus, quia quamvis olim ipia corporis humatione, seu per ipsum corpus humatum seu sepulchrum locus redderetur Religiosus & benedictus, uti expressè habetur l. 2. §. l. Cum in diversis. 44. ff. de Religios. & sumpt. funer. hodie tamen specialiter auctoritate Episcopi benedicti debet, ad hoc, ut dici possit Sepultura, uti habet Glossa communiter recepta in can. In Ecclesiastico. 14. cau. 13. q. 2. §. Si terram. arg. c. 4. de Religios. dom. Dicitur Catholicorum; quia juxta dicenda infra n. 77. & 78. qui Catholicus non est, in Sepultura ritu Catholico benedicti, sepeliri non potest; sicut neque Catholicus in statu gravis peccati notorie decedens, & idem etiam additur pie decedentium.

Quaeritur II. Ubinam, & quae loca deputari & fervire possint pro Sepultura? Resp. I. Regulariter loquendo, locus Sepulturae est atrium, aut porticus, vel aliud terrae spatium prope Ecclesiam, quod hodie Coemeterium communiter vocatur. Communis textu clero can. Praecipendum. 15. cau. 13. q. 2. ibi: Prohibendum est etiam secundum Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliatur: sed in arvo aut in porticu, aut in exedris Ecclesiae. Vocatur autem Coemeterium, can. 1. cau. 13. q. 1. & alibi, quod graecè idem significat, ac Dormitorium: quia ibi requiescunt corpora Catholicorum, qui ob spem resurrectionis non tam mortui jacere, quam dormire dicuntur, Joan. cap. 11. & i. ad Thesal. 4. ibi: Nolimus vos ignorare de dormientibus, in quem textum S. Hieronimus ait, eos dormientes appellari, quia certum est, eos resurrecturos.

Porro licet, ut dictum, Coemeteria plerumque prope Ecclesiam fiant, possunt nihilominus etiam in remotis ab Ecclesia locis constitui, ibique sepeliri cadavera, praesertim tempore pestis, uti post Sylvestrum §. Sepultura. q. 1. bene notat Van Elpen p. 2. Tit. 38. de Sepultura. cap. 2. Pirhing h. t. n. 2. & alii, consuetudine addente robur. Imò l. 3. §. 5. ff. de Sepulch. violato, sub poena 40. aureorum statuit, ne quis in Civitate sepeliatur, ne scilicet Communitas factore inficeretur. Et quamvis haec Lex non stringat amplius, tamen ob rationem Legis factum esse, credibile est, quod hodie in magnis Civitatibus Coemeteria extra Civitatem erigantur, Gottes-Acker vocant. Dicitur autem notanter in conclusione regulariter loquendo, nam

- 6 Resp. II. Quamvis olim in solis Coemeteriis, & nullis in Ecclesia sepeliri potuerit, uti patet ex cit. can. Praecipendum. 15. cau. 13. q. 2. ubi habentur haec verba: Intra Ecclesiam verò aut pro-

pe Altare, ubi corpus & Sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliuntur. & can. Nullus. 18. ead. caus. & q. ibi: Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici: ubi per fideles Laicos intelliguntur Laici in fama sanctitatis, & miraculis clari juxta Glossam ibidem §. Fideles, tamen hodie & Jure, & consuetudine introductum habetur, quod quivis Catholicus sive Clericus, sive Laicus etiam in Ecclesiis sepeliri queat, c. Ex parte. 5. & c. Cum liberum. 6. h. t. juncto can. Cum gravia. 17. cau. 13. q. 2. ubi ratio (quae etiam de Coemeteriis prope Ecclesiam militat) additur, videlicet, ut defunctorum proximi, quoties ad eadem loca sacra (Coemeteria nempe, & per ea ad Ecclesias) veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordentur, & pro eis Domino preces fundant. Est & alia ratio, ut crebro illic venientes homines mortalitatis, & mortis sibi imminentes utiliter recordarentur. Varro, lib. 5. de Linguae latina.

Notat tamen Bernard. Van Elpen p. 2. Tit. 28. de 7 Sepulturis, cap. 2. n. 34. magnum circa sepeliendos in Ecclesia abutum hodierno vigerè tempore, ita ut Ecclesiae videantur quasi Coemeteria divitum, Coemeterio communi in locum pauperum Sepulturam relicto. Quem abutum non tantum rationibus diluadet, sed & necessarium ejusdem eliminationem ex pluribus recentioribus Conciliis demonstrat. Inter quae Concilium Rothomaneense 1581. Tit. de Curatorum officis. n. 31. sic ait: Non adeo promissive mortui sepeliuntur in Ecclesiis, sed hoc servetur Deo sacratis specialiter hominibus, ed quod praesertim eorum corpora templum sint Christi, & Spiritus sancti; & aliis in sublimitate & dignitate tam Ecclesiastica quam seculari constituis; quandoquidem & isti Dei ministri sunt, atque Organa Spiritus sancti. Aliis insuper, qui nobilitate, vel virtutibus vel meritis erga Deum, & Republicam fulgent. Caeteri piè & Religiose in Coemeteriis ad hoc dedicatis Sepultura tradantur. Concilium Remense 1585. Tit. de Sepulturis ordinavit: Ut omnes Christiani, quibus sepultura non est interdita, in Coemeteriis, non autem in Ecclesiis sepeliuntur, nisi forte de consensu Superiorum. Superiores autem non possunt omnibus id privilegium concedant, sed in ejusmodi concessionibus delectum habeant personarum. Imò idem Concilium ad tollendos abusus statuit, ut in Ecclesiis deinceps nulli sepeliatur, nisi fuerint Sacerdotes, vel Saceris initiati, vel Religiosi, Ecclesiasticumque patroni. Alii autem, qui nobilitate, auctoritate, meritisque in Deum, & Religionem commendati fuerint, ad id cum licentia Episcopi admittantur. Caeteros verò in Coemeteriis, quae olim etiam Illustriores non aspernabantur, sepeliri mandamus.

Concordat Rituale Romanum sub Paulo V. editum, dum dicit. Ubi vigeat antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Coemeterio, retineatur, & NB. ubi fieri potest, restituatur. Addit insuper: At verò, ubi locus Sepulturae dabitur in Ecclesia, humi tantum detur, cadavera autem prope Altaria non sepeliuntur. Hinc in multis locis Decreta Synodalia extant, vi quorum sine expressa Episcopi licentia, in Ecclesia nemo sepeliri potest. Certè Episcoporum erit, intuitu tot Conciliorum vigilare, ut abusus hic in Dioecibus eorum tollatur. Van Elpen lo. cit. n. 43.

Quaeritur II. Ubinam quis, seu in quo Coemeterio, vel Ecclesia sepeliri debeat? Resp. I. Qui sibi eligit Sepulturam, in eo sepeliri debet, etsi fit aliena, c. 1. h. t. ibi: Nulli tamen negamus propriam eligere Sepulturam, & etiam alienam: Dominus enim & Magister elegit alienam ut propriam. Concordat c. Cum super. 8. & c. In nostra. 10. h. t. sicut & c. 1. & 2. eod. in 6. dummodò non eligat locum profanum, sed Religiosum, cui vel à Jure communi, vel ex